



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilium Viennense, A Gelasio Secvndo Celebratvm anno Domini MCXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CONCILIVM FRIDESLARIENSE,

ANNO  
CHRISTI  
1118.

CONTRA IMPERATOREM HENRICVM,  
anno MCXVIII. sub Gelasio II.

NOTA.

Apud Su-  
riam die  
26. Iunii  
tom. 3.

*Concilium.* ] De hac Synodo Vrspergensis ista scribit : *Alteram quoque Synodum in Frideslar idem Cono Pranesinus eadem pro causa indixit, qua & habita, eandem quam prius excommunicationem confirmavit, aduersus imperatorem scilicet. Imperator his auditis, insuper etiam, quod principum consensus generale vel curiale colloquium non multo post apud Virceburgum instituere proposuisset, ubi ipse aut praesens ad audientiam exhiberi, aut absens regno deponi deberit, efferatus animo, Italia suis copiis cum regina relictis, Germanicis se regionibus nimis insperatus exhibuit.*

CONCILIVM VIENNENSE,

ANNO  
CHRISTI  
1119.

A GELASIO SECVNDO CELEBRATVM  
anno Domini MCXIX.

NOTA.

Concilii  
causa quae?

*Concilium.* ] Cum Gelasius papa apud Capuam Henricum imperatorem & Burdinum schismaticum antipapam excommunicasset, atque inde per Campaniam cum suis ad Burgundiam transmigrasset, anno dominica incarnationis 1119. inquit Vrspergensis in chronico, *apud Viennam Synodum congregauit, eaque transacta, post paucos dies in monasterio Cluniacensi vitam presentem in Domino finiuit.* Quid vero in ea gestum vel constitutum fuerit, silent omnes.

VITA ET EPISTOLÆ

CALLISTI PAPÆ II.

Callistus  
pontifex  
quando.

CALLISTVS huius nominis secundus, Gulielmi Burgundiae comitis filius, Henrici imperatoris consanguineus, adeoque, quod ait chronicon Cassinense, regia stirpe progenitus, in rebus saeculi strenuus, & in ecclesiasticis apprime eruditus, tertio die post obitum Gelasii vnanimi consensu totius cleri ac populi Romani Cluniaci in Galliis ex Guidone Viennensi archiepiscopo inuitus ( vt testatur ipse